

1722.

DISPUTATIO

De

S E R V O

1663 14
13
20

Quam

Cum Consensu Magn. Jctor. Ordinis

sub

PRÆSIDIO

Viri Nobilissimi, Amplissimi, Consultissimi

& Excellentissimi

DN. VVILHELMI LEISERI,

Jcti & Antecessoris in hâc Academ. Celeberrimi.

Cur. Provinc. Scabin, & Facult. Jurid. Assess.

Gravissimi: Ejusdemque h. t. DECANI

Speçtabilis.

Dn. Patroni ac Præceptoris colendi,

publico Eruditorum examini

scripsit

MELCHIOR ERNESTUS VVAGENISIUS,

Serv. Anhalt.

In Auditorio Jctorum ad diem Febr,

boris matutin.

Anno 1663.

WITTEBERGÆ,

Typis Johannis Haken,

33.



DESCRIPTIO
SERVATI
PRAESIDIUM
MILITARIUM
VACANTIS

Hinc sunt...

4





I. N. J.

Proœmium.



liberalis est Servorum accuratioꝛ
notitia, nec quicquam sapit humile. Er-
rant qui ex rerum nobilitate æstimant
scientias, quæ ad intelligendi potentiam
respectum ducunt. Non est spiritualis
scientia, quæ pro objecto Spiritum ha-
bet; nec corporea, quæ corpus. Constat
sua laus utriq; , non refragamur; esto

tantum & reliquis, de quo gloriantur. Manet scientiarum no-
bilissima Mathesis, utut inefficax ibi reperiatur quantitas. Et sa-
ne! potest vilissimæ rei exquisitissima esse notitia, dum de alti-
oribus interim frustra laborat intellectus hebetior. Valet hic,
quod de apum olim descriptione cecinit Poëta:

In tenui labor est, at tenuis non gloria.

Ita nimirum est: nihil trahit à rebus incommodi cognitio. Et
quid, quæso, si ex objecto numeras scientias, fiet de Deo, aut
singendus omnium ignarus est aut imperfectus. Equidem
vulgatus Philosophorum canon est. *Intellectum intelligen-*
do fieri omnia. Vid. CL. Sperl. Synops. anthrop. Phys. c. 3. axiom.
5. at limites habet, ultra quos transire nefas est, & nequit
consistere rectum. Non fit equus equum intelligendo, nec ar-
borem arbor; manet rationalitas intellectui, etiamsi cognosca-
tur asinus. Ita pariter non indigna liberali homini, primùm sci-
licet Instituta aggredienti obvia, servi contemplatio, quam
in præsentem pro ingenii modulo suscepimus. Faxit ille cujus ser-
vi omnes sumus, & oves pascuæ ejus ut FELICITER.

THES. I.

Hanc autem contemplationem absolvent existentia & Cõ-
ditio Servorum. Equidem de eorum existentia prolixiores non
sumus, consentientium & ipsorum sensuum fisci patrocinio.
Loquitur non tantum omnis historia; sed clamant etiam hodi-
enuræ



enum pro nobis ipsæ naves Mediterraneæ, quæ Servorum nunquam non eximium portant numerum. Nec quicquam obstat humana libertas, quam quovis bono hæud pauci judicarunt potiore: Cui etiam ita adhæserunt & dediti fuerunt, ut servitute vel quovis malo pejorem, cum vitæ etiam periculo evitandam sibi persuadere conati sint. Et undè, quæso, bella tam cruenta tamq; truculenta quæ à Germanis suscepta sunt cum exteris? Unde porrò tantus Regum sanguis, qui ad interneccionem deleti sunt à populis? Nimirum servitutis jugum vim inferre naturæ, unanimes erat consensus. Hinc potissimum, eundem statum, in quo positus homo, non retinuisse, contemptum Juris naturæ inferre, nata est opinio.

THES. 2.

Quæ vero nõ uno modo fallit incautos ac glaucoma obijcit; quod ut demonstremus, transeundum nobis ad hominum creationem est. In statu, ut loquuntur, innocentie constituti primi parentes utebantur summa fecilitate, & ab omni calamitate ac miseria, quæ posterorum comites, procul erant. inde fieri non poterat, ut, qui nullius imperio opus habebant, de alio, præter liberum, statu gloriarentur. Ex eâ ergo creatione libertatem competere hominibus ultrò largimur: quod etiam de statu post lapsum similiter falsum non est, si rectè intelligatur. Mansit enim in his civilibus naturalis arbitrii potentia, ut erat ante, nec fuit ullo tempore liberior; cessaret secus hominis voluntas, quæ in libertate formaliter consistit. At an exinde sequi putabis, contra Jus naturæ esse servitute? mihi sane non videtur. Sumitur enim in illis formulis libertatis vox significatu alio; notatq; voluntatis libertatem, quæ servituti opposita non est. Sin liberi vox ponatur in oppositione ad servitute, dicimus, hominem post lapsum se habere indifferenter: libertatem autem negativè. *Non enim nunc nascitur homo, ut nunquam serviat, sed ut nativitate momento servus non sit,* erudite scripsit Grotius Lib. 2. de J.B. et P. c. 22. §. II.

THES. 3.

Notandum & illud, libertatem non ita accipiendam esse, ut legibus opponatur: quasi illa demũ libertas sit, quæ nullius imperium

imperium agnoscat, ac vage sine legibus degat: barbaries illa est, ac quidvis patrando impunè, vitiosa licentia. Libertas autem rectam vivendi rationem non excludit. *Legum idcirco servò sumus ut liberi esse possimus*, Ciceronis sententia est. Orat pro Cluent. Enimverò *¶* vivere duplici modo, *honesto* scilicet & *turpi*, considerandum nobis proponitur: utrumq; naturam habet autricem; posterius tamen corruptam. Siquidem & ad honesta & ad turpia extendi posse libertatem, non ambigitur. Acriori tamen impetu non raro fertur homo ad ea quæ libidini suæ inserviunt, etiamsi non attendatur honestas, aut illa, quæ publico conducit, virtus. Scelerum hinc colluvies ne occupet & opprimat rempubl. vel ne in eadem bene constituta per quævis scelerum spatia impune grassetur, salus Reipubl. naufragium faciat, & aperta in Deum contumelia foveatur, dicitur sana ratio, ut, cum nosmetipsos regere ac honesta præ animi impotentia meditari non possimus, ii, qui sapientiores sunt vitia emendanda suscipiant, prohibeant, arceant. Quod fit legum sanctione: quarum virtus gemina est, *ut ordinet & disponat in Republ. omnia, quæ ad tranquillitatem salutemq; ejus videntur pertinere; deinde, ut injustitiæ & hominum malitiæ in delinquendo efficax ponat impedimentum.* D. Daniel. Clasen. de Jur. aggrat. c. 1. Modum ergo vivendi præscribunt leges, nec tollunt naturalem vivendi rationem, si bona, si moralitati consentanea: puniunt autem scelera, eaq; cum rectæ rationis dictamine: quæ bonis obtemperat, contraria præcipientibus legibus omne omnino denegat obsequium, & pati supplicia imperantium, quam conscientiam lædere, ac fædere, satius esse jubet. Facta, inquit Papinianus, quæ lædunt pietatem, existimationem, verecundiam & contra bonos mores sunt, ea nec facere nos posse credendum est. L. Filius qui. 15. ff. de Condit Inst. Idem de legibus dicimus si contra honestatem & bonos mores sint, essentiam suam, quæ in obligatione ad obsequium consistit, planè amittere; tantum abest, ut legis titulo, nisi nugatoriè, condecorari queant. Cum ergo proprium sit legis, ut honesta, & contra intrinsecam justitiam nihil postulet, ejus sanctione libertatem, quatenus justitiæ tramites observat, non adimi hominibus sed concedi, indubitatè verū est.

De quo bene Cicero in Paradoxis: quis, inquit, vivit ut vult? nisi profectò qui recta sequitur, qui gaudet officio, cui vivendi via considerata atq; provisa est: qui legibus non quidem propter metum paret, sed eas sequitur atq; colit, quia id salutare maxime esse judicat.

THES. 4.

Hæc dicta sunt, ut naturalem quandam facultatem esse libertatem, à nobis non negari intelligat quivis. Gravis vero lis movetur ab iis, qui juris naturalis esse eam statuunt. Ne hic λογوماχίαν videamur facere, notam, quæ occurrere solet, apponimus juris distinctionem. Accuratissima autem illa fit inter jus *Præceptivum* & *Permissivum*. Posterius nimis improprie jus dicitur. Omni enim juri inest vis ad obligationem, ut transgressor aut temerator pœnæ subiaceat. Jus autem *Permissivum* ea vi destituitur: etenim permittit homini arbitrium, ac proinde violari non potest, utrum etiam eligatur ab eodem. Jus proprie est norma actionum humanarum: vel secundum quã dirigendæ sunt actiones humanæ cum obligatione ad pœnam. Ex jure permissivo datur libere agendi potestas. Inde jus proprie non esse apparet. Et ex eo jure asserit sibi libertatem homo, qui servus factus nondû est, ita tamen, ut suo quoq; facto libertati præjudicare queat. Ad prius autem qui refert libertatem, cæcutit non parum. Hoc enim profectum ex imagine divinâ & hominum mentibus inscriptum divina quadam vi constitutum firmum atque immutabile permanet. §. 11. *Inst. de J. N. G. & C.* Hujus assertum amplius deducens Grotius, *jus naturale a deo immutabile, ut ne à Deo quidem mutari possit*, asseverat: optime. lib. 1. de J. B. & P. c. 1. §. 10. non quod non infinita sit Dei potentia, aut quasi detur norma aliqua, quæ Dei voluntatem regat ipso prior; sed quod mutabilitatem res summè perfecta ac immutabilis, divina voluntas, non recipiat. v. c. illud naturæ dictatum, quod adulterium committere vetat, hujus juris est, ac proinde communi gentium consensu pro turpi habetur. *L. Probrum. 42. ff. de V. S.* Eodem vero modo libertatem à jure naturali determinatam haud esse, nemo non videt.

THES. 5.

Neque enim tunc affirmarem tot gentes, & maximam ferè orbis

orbis partem tam nefario ausu servitutem moribus suis recepisse, si jus naturale iis sufflatim injiciens illam remoraretur. Hujus leges, utpote quæ ab eo, qui immensus est, feruntur leges, distant non parum ab iis, quæ terrestrem aliquam potestatem laudant causam. Leges terrestres h. e. civiles, omnes, ad quos legislatoris extenditur potestas, obligant, eorūq; devinciunt obsequiū. Dei a. potestas viget in omni terrā, & toti mūdo imperat: Leges ergo, quæ ab hac Dei potestate promanant, toti mūdo præscribi ejusque obsequiū flagitare, consequens est. Et Divus Paulus *ad Rom. c. 2. v. 14.* affirmat, gentes quæ legē scriptā non habeant, sibi metipsis legem esse, & quæ legis naturalis sint, facere. Conf. Dn. Franz. ad Dig. de Just. & Jur. n. 115. Exuisse itaque hanc obedientiam Tartari, Persæ, Chinenses, Indi, omnesque fere Asiæ, Africæ ac Americæ gentes, quorum vita nil nisi durissima servitus est: ut etiam *ultra fateantur quadam Principi suo se servire, illi in suas opes in corpora, vitamq; jus esse: ceteras quoque gentes ex suo genio astiment. Hospites sive forte sive consilio advektos in idem jugum damnent, & servire suo principi velint.* Vid. Johan. Barcl. Euphorm. Satyr. part. 4. c. 8. Exuisse, inquam, obedientiam Deo naturæ Rectori debitam dicendi forent, dum juris naturalis refractarii audirent. In quem censum omnes olim gentes, utpote servitutis jure utentes, venisse dicendum erit, si fides habenda Gajo in *L. 1. §. 1. ff. de his qui sui vel alieni.* Exempla autem hæc cum probabilitatem sententiæ nostræ satis arguant, non est operæ pretium, ut multis verborum ambagibus extendam ea aut exornem.

THES. 6.

Confirmatur insuper hæc mea opinio ex sacris literis optime. Ex his, quæ turpitudini sunt ac in honestatem impingunt, constare nobis quilibet agnoscit. Quis nunc Deo Legislatori sapientissimo hanc imputabit oscitantiam, qui alias quæque vitiosa perstrinxit graviter, omisisse tale quid, quod tum temporis frequens inter homines contra jus naturæ fuisset. Silentio impræsentiarum tegam, quæ de emto post sextum servitutis annum dimittendo servo *Exod. 21.* De eo, qui ex gentibus in

in perpetuum possidendus ac hereditatis jure ad posteros transmittendus erat, *Levit. 25.* Judæis mandantur severè. Sufficere enim nobis possunt, quæ reliquit Apostolus, monumenta. Hæc lapidis lydii instar docent, nefas esse, si servus Domino suo se fugâ eripiat *1. Tim. 6.* Si imperata Domini sui negligenter tractet *Eph. 6.* Si honorem, quem eidem debet, recuset & detrectet. *1. Cor. 7.* Quorsum vero hæc? Nimirum ut, qui Divino juri consentaneam esse servitutem asserat, nec naturæ vim facere credat.

THES. 7.

Diutius, quam par erat, circa hæc hærimus: nunc ut intelligatur, quid sit, de quo scribimus, Servus: consequens esse putamus, ut aliqua adjiciatur descriptio: quæ talis placet, quod sit Instrumentum, rationis particeps, separatum, ad exequendum ea quæ dominus jubet.

THES. 8.

Generis loco instrumentum ponimus. Quicquid enim servus est, alius causa est. Nec dari extra hoc in servo aliud potest. Est enim, ut loquitur Philosophus *1. Pol. 4.5. § 6. ὅλος ἄλλῃ.* i.e. in totum alterius. Verbo: relativa servi vox est; & ad dominum semper respectum ducit. Et quicquid in relatione consistit, ut servitus, absolutam considerationem eatenus non admittit. Equidem quod rem ipsam concernit, fatemur, instrumenti vocem hic Metaphysicam non esse. Dicitur his instrumentum, quod ab alio elevatur ad effectum suâ virtute superiorem. Vid. P.R.D.D. Scharf. *Lib. 2. Metaph. c. 7.* concedatur, saltem acceptio moralis; ad quam sufficit, si in alius locum substituatur aut dirigatur ab alio. Rationis particeps ideo diximus, ut ab inanimatis discernatur & irrationalibus. Separatio quæ additur à conjunctis instrumentis, qualia manus oculi &c. differentiam exprimit. Vid. Cellar. *Pol. 1. c. 3. §. 11.*

THES. 9.

Ex quibus nunc præsuppositis determinanda venit quaestio, quæ vulgo agitur, an sit Servus naturalis? quod Philosophi

phi nonnulli affirmant & magno saepe rigore defendunt. Ipse quoque Aristoteles servum naturalem constituit 1. Pol. 3. § 4. Hic enim cum quosdam homines tam exili ingenio praeditos & robusto nato corpore, ut non nisi aliorum adminiculo vivant, animadverteret, servum naturalem constituebat. Cum Philosopho autem vulgo committunt Ictos & cum primis Ulpianum nostrum, qui in *L. manumissiones. 4. ff. de J. & J.* & in *L. quod attinet 32. de R. J.* naturali jure omnes homines aequales & liberos nasci asserit; sed distinctione res facile conciliari potest. De Stoicis accepimus, quod vitiis obruti homines pro servis habitii fuerint ab iisdem. Ita quoque Cicero, quando in Paradoxis sapientes liberos, stultos vero omnes servos esse asserit: *omnis, inquit, animi debilitas & humilis & fracti timiditas, servitus est.* A Stoico autem hoc Servo in praesenti separandus est is, qui Politice talis est i. e. qui opera & servitia praestat corpore suo. Ad hujus constitutionem nec abjectum ingenium nec robustum corpus momentum aliquod inferet: sed nascendi conditio, aut rerum humanarum domina, fortuna.

THES. 10.

Sint enim homines stupidi, sint robusti, concludendum nihil aliud nec inferendum, quam quod, qui alterius imperium agnoscant ac osculentur, aptiores sint. Nemo autem, qui aptus est ut imperet, imperator, ita nec qui aptus est ut serviat servus est. Nullum imperium ex natura duxit scaturiginem, nec ex virtute nec aptitudine. Cui enim illud donare vult Deus, regale occupat solium sine ullo ad virtutes respectu. Bene ergo à caelesti Majestate sibi traditum imperium agnovit Sacratissimus noster Justinianus *L. 1. C. de Vet. Jur. Enucl.* Quin etiam bene imperare Rex potest, etiamsi privatim impius, injustus, omniumque vitiorum princeps sit. Et quid quaeso, contra ea, robustum corpus damni pariat Imperatori? Crescit sane Majestas & radices agit reverebunda illa opinio de virtutibus Imperantium in animis subditorum, si ingenti corpore fulgeant Imperantes. Et solet non raro profanum vulgus ex corporis mole dotes animi metiri. In quem finem Q. Curt. lib. VI,

B

Barz

Barbaris inquit, in corporum Majestate veneratio est, magnorumq; operum non alios capaces putant, quam quos eximia specie donare natura dignata est. Et Plutarch. de Puer. Inst. refert: Archidamum ab Atheniensibus multatum pecunia, quod pusillam admodum uxorem duxisset, ex ea non reges sed regunculos procreaturus. Solent ergo parentes magis vereri eos, qui robusti corporis sunt, quam qui exilis. Verum utriusque staturæ divina sunt auspicia; & superne delabuntur Regum sceptrum: armantur ergo omnes quasi & expoliuntur, ut oneri, cui subsunt, sufficiant. atque ideo in exili quoque vase ingentes sapientiæ thesauros reconde-re placet Deo. Vid. Joh. Loccen. not. ad Curt. loc. cit. Abdolony-mum sane puto, exigua stipe suburbanum colentem agrum re-galis corporis facies commendare non potuit, ut Rex salutare-tur, nisi respectus personarum vilis esset coram Deo. Quod ta-men Philosopho ex gentium Theologia tam exacte innotesce-re non potuit.

THES. II.

Diximus de virtutibus, eas non requiri ad imperium: mēs nostra non est, ut vitia Principum extollentes, personam tyran-ni exornemus: sed potius ut nec vitia servitutis nec virtutes imperii causas esse asseveremus. Imo quod videamus malos etiam Principes non exuere pristinam dignitatem & degenera-re in servos: dum enim imperium munus divinum ubique est, sane à malefano administratore nec attaminari illud nec muta-ri potest. Præclarus locus est apud Dn. Bœclerum Politicum in-comparabilem tract. de Auspic. Reg. c. 2. §. 25. Ita autem ille: *altum, inquit, est consilium & nobis minima sui parte revelatum, quomodo Deus non per bonos tantum sed per malos etiam auspicia regnorum dispenset. Idem qui Augusto tot gentes subjecit, etiam Domitiano absenti rebellium arma felicitate mira confregit. Ita e-nim placet illi cui nihil injuste placet.* hæc ille: quæ longius perse-qui possem, nisi ab instituto nostro aliena essent. Apparet ex eo interim imperii causa, quæ naturalis non est, sed divina, sed coelestis. Hinc nec servum naturalem esse infero. Servus enim naturalis describitur homo vitiosus. Qui ergo homo vitiosus est nec tamen alterius instrumentum, eum nec servum esse cō-cludi.

cludimus firmissime. Fumant ubique quasi, nulla vetustate ex-
esa, Imperantium flagitia, & commendantur posteritati, non
ut servos eos, sed Imperatores vitiosos judicemus. Quis Ny-
num muliere corruptionem? Quis Sardanapalum effæmina-
tum adeo, ut morte tantum (*in incendium enim sese miserat, ut
autor est Justin. l. 1. c. 3.*) virum imitatus sit, servum proclamet?
Et nostra etiam ætate, quid vetat, si ex virtutibus imperantes æ-
stimandi sunt, quo minus eos interdum servilis personæ faciem
gerere statueremus. Fit enim nescio quomodo, ut dicendum
sit, quod ad Marianum scripsit Ovvenus *lib. 3. Epigr.*

Sunt igitur pauci nunc Mariane boni
Imptobitas tanti, probitas tam denique parvi
Penditur; ut probum pene sit esse probum.

Et multi sunt, qui dum privatam agunt vitam simplicitatis spe-
ciem & virtuti consentaneas actiones ostendunt, at quando ad
summam reipubl. pervenere demum vitiis corrumpuntur, ut im-
mania naturæ monstra esse videantur. Saulus clemens & pius
postquam summa imparii potitus erat, tyrannorum vicem oc-
cupabat. Ab initio imperii bene præerat imperio Nero, at res
secundæ, quibus utebatur, clementiam vertebant in rabiem;
gloriosum antea principem in crudelem lupum. Ut vere di-
ctum sit. *Magistratus virum indicat.* Maneant interim hi pec-
cati servi & vitiiorum, ambiguo verborum usu, non refragamur;
Prout Politicè eos consideramus omnes liberi sunt.

THES. 12.

Imperiū nullū naturale statuentibus occurritur à quibusdā, iisq;
eruditis, qui id, quod in mulierē cōpetit marito, à natura arces-
sūt. Nos autem transimus in eorū sententiam, qui vi legum divi-
narū tributum illud marito (Adamo) asserūt. Hi enim & sanioris
iudicii esse & veritatis limites attentiori cura observare viden-
tur. Et profecto sacra scripturā edoctus, facili inveniet nego-
tio, deplorandum Adami lapsum, omnibus hætenus pernicia-
bilem, secutum esse illud elogium seu mandatum, ut fæmina
obediret marito. Hoc ergo imperium ex illa legis pronuntia-
tione oblatum est Viro. Si autem jam habuit antea, affirmari
ausim, dare ei quod habebat, fuisse frustraneum. Æquales e-

rant ante lapsum homines, & socii, inter quos imperio non locus est. Neque felicitas conditionis eorum (ubi scilicet pax erat, & omnis calamitas & iniquitas ignorabatur) tale admisisse videtur. Et proinde verum est quod rursus canit Ovvenus

Theiologis animam subjecit lapsus Adami
Et corpus Medicis, & bona Juridicis.

Qui ergo ante lapsum imperium fuisse statuunt, quid aliud, quam Hermaphroditum aut Amphibion, quod imperet simul atque pareat, producunt. Cæterum imperium hoc maritale naturæ, ut post lapsum fuit, satis congruere haud diffitemur.

THES. 13.

Servitus ergo omnis est ex legum constitutione: tam Gentium quam Civili Romana. *L. Et Servorum 5. ff. de Statu hom.* Primæva autem est ex jure gentium. Hoc enim civili prius & generalius est. Hinc servitus appellatur constitutio Juris Gentium. *§. 2. Inst. de Stat. hom.* Bella enim orta sunt ex jure Gentium, primæva & principalis causa servitutis. Cæperunt nempe homines infestare vitas aliorum fortunasque, inde suavitatis necessitas defensionem, ut vindicarentur violatores pacis, & servituti addicerentur. Et si enim ex Jure Civili quædam Servitus sit, tota tamen essentia ex Jure Gentium descendit, modi saltem aliqui ex Jure Civili asciti sunt; Excell. Franzkius. *Comm. ad Dig. tit. de Stat. hom. n. 16.* Et constans historia tradit gentium plurimarum moribus in captos bello, & quicquid eorum fuerit, quidlibet impune licuisse, adeo ut varia etiam morte eos affecerint: multos deinde victores misericordia ductos, eorum mortem in flebile ac triste servitutis jugum mutasse. Hos cum quasi manu capti erant dixere mancipia. *L. libertas. 4. §. 1. ff. d. tit.* Sicut servos à servando, quod Imperatores captivos vendere ac per hoc servare nec occidere solerent, appellatos in *d. l. scribit Florentinus*, & ex eo Imperator in *§. Servi autem. 3. Inst. de J. P.*

THES.

THES. 14.

Injustum autem minimè videtur, si capti tollantur inter-
 necione. Primò enim finè, quem intendunt belligerates (pacem
 intelligo) non consequuntur, nisi multiplex hostibus detur stra-
 ges. Venit deinde hic, ut alteri eripiat vitam; æquo ergo ferat
 animo, si ipse suam amittat. Valet enim hic, quod dicitur; quod
 tibi non vis fieri, alteri ne feceris: & quod quis ob defensionem
 corporis fecerit, Jure fecisse existimandum esse. *L. ut vim. 3. ff.
 de J. & J. Queritur hic an & tunc posset occidi servus, quando do-
 minio jam subjectus est.* Servum ex Jure gentium impune occidi
 concedunt omnes. Ubi tamen non absre notant nostri, hæc ita
 vera esse, quatenus resistens capitur: neq; ullam rationem do-
 cere, ut hostis victus, qui sese dedit, & arma submitit, occi-
 datur. Exc: Struv. Syntag. Jurisprud: *Exerc. 3. §. 16.* Bachov.
ad Wesenb. π. de Stat. hom. n. 4. Ab illo enim quia vis ulla ampli-
 us metuenda non est, vera ratio Jurisgentium, quo hostem vim
 vel injuriam inferētē, impune occidere licitum est, prorsus ces-
 sat. Exc: Frantz. *d. com. t. de his qui sui vel alien. n. 7.* Cum quo
 plane convenit Jus divinum. Ita enim legislator *Deut. 20. v. 10.
 11. & 13.* Cum veneris, inquit, ad aliquam urbem, ut eam op-
 pugnes, primum invita eam ad pacem. Quod si bello & armis
 experiri tecum malit, obside urbem, cumq; tradiderit eam De-
 us in manum tuam percute omnes masculos acie gladii. Ex hæc
 bellica captivitate ortum quoq; habuit Jus vitæ ac necis, domi-
 nis olim in RP. Rom. concessum: non tamen nisi justa ex causa
 & ob delictum mortem meritum, exercendum: quod misericor-
 dem victorem non immisericorditer in vitam sui semel mune-
 ris factam statuturum, leges præsumerent. Sed cum Jus illud
 postea degeneraret in savitiam & crudeliter in serviles personas
 debacharentur domini; ut & murænis cibandis objicerent; vi-
 tæ ac necis Jure adempto, ut venderent, constitutum est. Primus
 qui illud Jus ademit, & per Judices servos, si digni essent, dam-
 nari voluit, Hadrianus fuit, si fides Spartian. in Hadrian. De-
 inde ex constitutione Antonini, qui sine causa servum suum oc-
 ci derit, non minus puniri jussus est, quam si alienum occiderit

B 3

§. ult.



S. ult. Inst. de his qui sui vel al. fur. Relinquitur ergo Domino in
Servum modica castigatio. *L. un. C. de emend Serv.* Qui autem
occiderit *L. Cornelia tenetur L. 1. §. 2. ad L. Cornel. de Sic.*

THES. 15.

Servis autem semel constitutis, non tantum Juri gentium
sed & naturali rationi conveniens erat, ut, qui ex servis nasce-
rentur, servi & ipsi essent. Victoris enim arbitrium seu domi-
nium ad posteros etiam extendebatur; haud quidem ex sola a-
limentatione & eorum, quæ vitæ necessaria sunt, præbitione:
quæ ratio Grotio *L. II. de J. B. et P. c. 5. n. 29* non nobis sufficit:
veremur enim, ne tali fundamento innixa servilis conditio cito
corruat, cum labor alimenta facile superet: sed quoniam libe-
ri sequela & quasi accessio quædam corporis parentum sunt. *An-
vero ex hoc Servus naturalis efficitur.* Nego; cum hic factum ho-
minum prævium captivitatem bellicam supponamus: ii quoq;,
qui servos naturales defendunt, non ex nascendi conditione
sed ingenio eos æstiment. Cæterum, quod juxta *L. partum an-
cille 7. C. de R. V.* partus, ubi alteruter parentum liber est, ven-
trem semper & indistincte *V. C.* ubi matrimonium naturali Jure
constitit, forte quod ancilla voluntate domini libero homini
cōcubina venit, sequi debet, illud cessante lege civili non sem-
per ita fore Grotio largimur.

THES. 16.

In imperio autem germanico Servorum usus exiguus aut
plane nullus circa Carol. IV. tēpora factus est. Bodin. *de Republ.*
l. 1. c. 5. Stamm. de Serv. Pers. L. 3. c. 2. n. 1. ut adeò frustra aliena
tractare nos, videri alicui possit. Verum non tantum in Bohe-
mia, Lusatia, Pomerania, vicinisq; locis aliis, qui agros colūt,
ita habentur, ut servorum antiquorum speciem propius referāt:
sed passim etiam in reliqua Germania res eodem inclināt. Ex-
tra orbem Christianum autem procul dubio gentes sat multæ
sunt, quibus Servorum solennis est usus. Ut ergo quid & quan-
tum ibi liceat, constet, addamus non nulla. Et cum quæritur,
an fugam capessere possit servus, negantium partes tuendas cense-
mus. Dum enim vitæ periculo exemptus est, æquitas suadet om-
nino, ut

nino, ut domini sui rem agat fideliter atq; imperium sustineat
Non vero ut quælibet exequatur, sed tantum ea, quæ decora
sunt, tenetur servus. Ea enim mandata, quæ ad violationem ho-
nestatis penetrant, Jurisq; naturalis dictamina evertunt, Justa
excusatione declinat. Nec enim quæ moraliter mala sunt, ullius
Jussu possunt fieri bona.

THES. 17.

Absolutam autem vitæ & necis potestatem nemo habet in
Servum. Divinum scilicet hoc opus est; quod sacrilegis Domi-
norum manibus atrectari non patitur divinarum humanarum-
q; arbiter, Deus. Fingatur licet Dominum habere *Ἐξουσίαν* & su-
premam Majestatem; attamen cælo inferior quod non dedit
nec aufert. Si autem capital admiserit Servus, & Dominus ex-
tra Majestatis territorium sit, omnia Jura ipsi in caput nefarii
hominis, tanquam Patrifam; regia dignitate pollenti, deferunt
judicium. Si autem ipse Dominus superiorem agnoscat, tanta
ei competit potestas, quantam Majestati civili ei relinquere vi-
sum fuerit. Majestas enim est summa potestas, adeoq; omnes
inferiores respectu ejusdem esse subditos, adeo ut patriam com-
plectatur & Dominicam, necessum esse videtur. Grot *L. 1. de J.
B. et P. C. 1. n. 6.* Jure autem nostro civili Romano, quid hæc de re
statutum sit supra *Thes 14.* exposuimus: quare actum nunc age-
re haud volumus. Et cum ingenium incultum adhuc & imbe-
cille nimis, ut plura addamus, non permittat, nec tempus an-
gustissimum patiatur, esto hic FINIS.

SOLI DEO GLORIA.



Faint, illegible text in a Gothic script, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text in a Gothic script, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text in a Gothic script, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text in a Gothic script, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text in a Gothic script, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text in a Gothic script, likely bleed-through from the reverse side of the page.



ULB Halle
002 618 818


3



5b

VDM





1722.

1663 14
13
20

DISPUTATIO
De
S E R V O

Quam
Cum Consensu Magn. Jctor. Ordinis
sub

PRÆSIDIO

*Viri Nobilissimi, Amplissimi, Consultissimi
& Excellentissimi*

DN: VVILHELMI LEISERI,

Jcti & Antecessoris in hâc Academ. Celeberrimi.
Cur. Provinc. Scabin, & Facult. Jurid. Assess.
Gravissimi: Ejusdemque h. t. DECANI
Spectabilis.

Dn. Patroni ac Præceptoris colendi,
publico Eruditorum examini
scripsit

MELCHIOR ERNESTUS VVAGENISIUS,
Serv. Anhalt.

In Auditorio Jctorum ad diem Febr,
boris matutin.
Anno 1663.

WITTEBERGÆ,
Typis Johannis Haken.

33.

